

rendiff. Episcopus Zagrabienfis, &c. quem hono-
 ris, & meæ perpetuæ erga illum obseruantia causa
 nomino: sed & mihi inde aliò commigrandum ef-
 se Medicinæ causa, sciebam: cui me iam tum addi-
 cere incipiebam, audiendo professores vsu artis ce-
 leberrimos, Franciscum Emericum, & Wolfgangũ
 Lazium, & alios: ne tamen Mathematicum studium
 penitus conticesceret in ista vrbe, ac Lycæum red-
 deretur furdum, priuatim docui in Bursa Agni di-
 cta: & præparabam animos plurium excitabamq̃;
 vt essent idonei ad audiendum Perlachium: cuius,
 vt dixi, vnicus eram in Mathematicis, relictus au-
 ditor. Nec infeliciter cesserat ille meus labor: vt qui,
 me deinceps hinc abeũte, quinq; ipsi reliquerim au-
 ditores. Excolui igitur iuuenis Mathematicũ studia
 qua poteram diligentia: in grauiore etiam ætate ab
 eis abhorrebam nunquam: tamen & Medicum stu-
 dium, & vitæ ratio præsens me, tametsi inuitum,
 eadem deserere coëgit iam per annos plurimos.
 Nunc verò dum insolens hoc nouum sidus aspecta-
 rem, ac mirificam Dei prouidentiam in eo tacitus
 mecum expenderem: & de eo interea variæ vario-
 rum prodirent opiniones, quæ & alienæ erant ab
 arte Astronomica, & leuiore quàm vt pro debito
 illustrarēt Dei mirificam prouidentiam: studiosius,
 quatenus scientia Astronomiæ suppeditabat, cogi-
 tare, & dudum intermissa studia reuocare cœpi: ad
 quod etiam excitabar, & amicorum literis & tri-